

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Vadianus poeta Laureatus Ioanni Reuchlin S.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

E P I S. I L L V S T. V I R O R V M A D

Nunc primum se nobis obtulit occasio qua tibi hæc extemporaria effundimus, quæ legas uelim sine iudicio, ac egregiam nostrâ de te uoluntatem ne contemnes. Diis tibiq; thure sacrificauero, si me in album tuorum legeris. Hartmannus Iurisperitorum nobilissimus, atq; nobilium Iurisperitissimus, uir clarus, è familia Burggrauiorum de Kirchberg tibi plurimum fauet. Vale & salue VII. Kalend. Februarias.

Vadianus Poëta Laureatus Ioanni Reuchlin S.

**V**LRICHVS Huttenus, doctiss. Capnion, literis ad me suis Bononiæ datis honorifica tui mentione facta, quid Romæ proximis his mēsis<sup>9</sup> in illa tua causa actū fuerit, adeo indicat fideliter, ut quāti te faciat, ipsa sua uerba haud obscure testetur. Is Romæ tota propè æstate, ut intelligo, moram traxit, literarum & in primis noscendi Iuris gratia. Sed lite quadam inter se & Gallos aliquot ob res Germanorum exorta, uno confecto Gallo, reliquis autem misere sauciis, Bononiam petere coactus est. Illic fortassis diutule mansurus. Quanto uero me gaudio afficiat, omnis illa fama, quæ uictoriam innocentissimæ uitæ tuæ, contra Stoico rû istas Simias, adiudicat, non facile scripserim, ac ne dixerim quidem si coram essem, testis enim esse possum uel posteritati, quoniam altissimum illud tuarum doctrinarum ocium, tam præcipiti molestiarum & perturbationum impetu non dignum extiterit. Cuius doleam persæpe de multis, istud nunq̄ non grauare tuli, quod homines illi quorum stipendiis inuidia militat, tantas in te tantilla tragœdias mouerint, ut res tota tot iudiciorum censuras, magnorum etiam iudicum consensu, sustinuerit. Imponet his finē Romanæ Sedis autoritas, tot uitæ tuæ & eruditiois præconibus munita, inter quos ERASMVVS ipse Roterodamum adeo libenter accipio, ut nihil magis. Ego quantulacumq; doctrina ac ingenio, id moliar ut uel meo iudicio Capnioni debuissē studiosos oēs futura secula agnoscant. Excudetur iam nunc à me scriptus de poetica libellus, in quo meritissimam laudem tui locis oportunis inserui, meam in te obseruantiam hoc ipso testaturus, eius tibi copiam breui faciā. Vale, & scribe. Viennæ. Anno M. D. XVI.